



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Quotuplex sit locus corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

rerum natura existat : illud etiā inintelligibile est , cur eiusmodi terminus statim euanescat. Quare alij tertio respondent, motum localem esse actionem sine termino. Verum manifeste falluntur : manifestum enim est, per motum localem rem locari de nouo, cum hac de causa motus localis appelletur : at rem locari distinguitur à motu locali, siquidem hoc transacto illud permanet : ergo motus localis terminum à se distinctum habet , quicunque , aut qualiscunque demum ille terminus sit.

7.

Hinc emergit alia difficultas ; an vbi , siue locus intrinsecus rei sit accidens absolutum, an verò modus eius entitatis , quam afficit ? Mihi longè probabilius videtur, vbi esse accidens absolutum, & non modale, quia absque necessitate nulla forma cum subiecto suo essentialiter connexa, ac per se ipsam ei vnita statuenda est : aliās omnes qualitates, omniāque accidentia modi essent, si sola accidentia Eucharistica excipias , & ne gratia esset qualitas absoluta animæ, nec etiā candor qualitas absoluta quantitatis , si hæc à materia distinguitur : at nulla est necessitas adstruendi essentialē connexionem loci, siue vbi realis cum re locata. Quod enim res sit indifferens, vt sit hic locata, vel non locata parum interest : siquidem sum etiā indifferens, vt sim albus, aut non albus, quin tamen albedo hanc indifferentiam determinans mecum essentialiter connexa sit. Rursus quod vbi sit relatio realis rei locatæ ad spatium imaginariū, & falsum est : quia absque spatio imaginario, omniūque intellectus nostri figmento re ipsa reperiri potest, & quamuis id verum esset, parum aduersariis prodesset, siquidem cognitio est relatio realis ad obiectum, quin tamen intellectui essentialiter adhæreat.

8.

Quamuis autem vbi intrinsecum rei sit accidens eius absolutum, tamen vbi cationem rei modum esse verissimilius est : sicut enim se habet calefactio, & calor, ita vbi catio, & vbi ; & quemadmodum calefactio est actio, qua ignis calorem producit, eūque sibi adiungit , ita vbi catio est coniunctio, siue vnio rei cum suo vbi , siue loco : vnio verò indubitanter modus est. Quod si quis vbi cationem, & vbi diiungere, ac separare nolit, & de nominum significatione litem nobis intendat, non grauabor ei concedere, vbi cationem eo modo sumptam rem absolutam esse, parūque refert vtrouis modo in præsentī loquamur.

9.

Verum tria hæc statuta tribus potissimum argumentis oppugnari possunt : quorum primum esto. Locus attinet ad prædicamentum quantitatis, ergo non ad prædicamentum vbi. Antecedens est Augustini in Cathegoriis ibi : *ipsius autem quanti aliud est coherens, aliud separatum : coherens est græce ephphania, corpus, locus, & tempus* : quibus verbis similia habet Aristoteles, & passim eius interpretes. Respondeo Augustinum , & Aristotelem id tantum contendere , locum prout constantem partibus extensis quantitatem esse : cum hoc tamen optimè coheret, locum pertinere ad prædicamentum vbi, si consideretur prout immobilis est, & prout rem hic, & non alibi immobiliter constituit.

16.

Secundum argumentum sit : res est in loco , è contra verò locus non est in re locata : locus etiā ex communi Philosophorum sententia cum Aristotele 4. Physicor. text. 40. rem locatam conseruat , & non è contra : at hæc ita se habere non

possent, si locus, siue vbi esset accidens quoddam à re locata productum , & in ea receptum. Respondeo : res locata est in accidenti illo intrinseco, non tanquam in loco, sed tanquam in subiecto : quare locus, & res locata in se inuicem diuerso tamen modo sunt , sic creator est in creatura , tanquam in imagine, creatura verò est in creatore velut in causa : sic etiam totum est in quauis sua parte velut in causa, & quauis pars totius in ipso velut in continente reperitur. Cum autem dicitur locus conseruare rem locatam, id intelligendum est de loco non intrinseco, sed extrinseco, & ambiente, per quem influxus corporum cælestium in rem locatam traiciuntur. Tertium argumentum sit : quia si vbi per se ipsum rei vbi catio non vnietur, vnio Petri verbi gratia cum suo vbi erit, & non erit ipsius vbi : non erit, vt supponimus, erit, quia determinat essentialiter Petrum, vt hic, & non alibi sit : cum accidens illud absolutum id munus determinandi non postulet, & abique eo diuinitus reperiri possit. Respondeo ; vnionem Petri cum suo vbi non determinare Petrum, vt sic, & non alibi, velut formam, ac rationem primariam, sed præcisè velut causalitatem formæ, ac rationem secundariam ; vnde non esse vbi , siue locum Petri : qua ratione vnio parietis cum albedine non est albedo, quamuis vnio illa determinet essentialiter parietem, vt albus sit : haud enim talis determinatio ipsi albedini essentialis est. Adice, quod, si distinguuntur vbi & vbi catio, huius, & non illius proprium sit determinare rem al hoc vt sit hic & non alibi : determinare inquam instar etiam formæ.

CAPVT II.

Quotuplex sit locus corporis naturalis , & cuius alterius rei ?

Locus variè diuidi solet : in primis enim locus, alius est realis, alius imaginarius : locus realis est, qui entitatem aliquam realem habet, aut rei locatæ velut subiecto inharerentem, aut ei extrinse circumfusam : spatium verò imaginarium est, quod esse reale nec habet, nec habere potest, perinde enim à nobis concipitur, ac si reuera esset : huiusmodi est interuallum illud, in quo mundum hunc conditum esse, & ab æterno ad eum præsuppositum imaginatur. Propterea autem vbi intrinsecum, & reale non sine respectu ad spatium imaginariū concipimus vt ita extensionem vbitatum realium, earūque situm, positionem, distantiam, atque indistantiam melius explicemus. Nam quo maius, aut minus est spatium imaginariū alicuius vbi realis, eo ipso maius, aut contractius esse ipsum vbi ; & quo etiam magis, vel minus distat vnum spatium imaginariū ab alio, eo magis, vel minus distans esse vnum vbi ab alio communiter iudicare solemus. Hinc constat, nec Deum, nec creaturam propriè, ac strictè in spatiis imaginariis esse : aliquid enim reale in nihilo, siue chimæra strictè esse nequit : impropiè tamen ac translatitè tam Deus, quam creatura spatiis imaginariis ad sunt : vnde reiiciendi sunt Authores, qui in præsentī materia aliter philosophantur.

At alij non pauci cum Albertino in Corollaris suis disp. vnica de prædicamento vbi docent, spatium

11.

12.

spatium imaginatum esse interuallum quoddam naturale, & capacitatem quandam corporis receptiuam; unde non esse omnino nihil, non tamen esse aliquid reale, cum existentia omnis entis realis tota aternitate præcesserit: sed potius esse medium quoddam inter ens reale, & rationis; quod tamen à Deo destrui non possit, Deo tamen per impossibile deficiente deficeret, atque adeo ab eo dependet. Plura argumenta contra hanc sententiam confici solent, quæ tamen inefficacia esse à nobis ostenditur in Metaphysica parum à principio, cum sermo fuerit de possibilitate rerum, cuiusque ab existentia distinctione quali quali. Quocirca, iis omnis impugnatur impræsentiarum ea sententia hunc in modum.

13. Siquidem superfluum, & absque fundamento eiusmodi interuallum positum medium inter ens reale, & rationis adstruit: ut enim aliqua res sit hic, & non alibi, utque una res distet ab alia, atque una res localiter moueri queat, sufficit locus intrinsecus, & realis cuiusque rei, eiusque ubi: ac tunc res aliqua erit hic, cum hoc ubi habuerit: tunc etiam ab alia distabit, cum ubi essentialiter distans ab ubi alterius sortita fuerit: ac demum tunc aliqua res localiter mouebitur, cum ubitates intrinsecas, & reales cum successione, & quasi alternatione mutauerit: ut igitur hæc, & similia verificentur, tale interuallum prope nihil, non tamen omnino nihil frustra adstruitur. Confirmatur: quia una pars eius interualli ab alia distat, vnaque hic, & non alibi est, quin tamen partes eius interualli in alio spatio, aut interuallum à se distincto existant: aliis spatia spatiis in infinitum commixta, & infusa essent: cur igitur hoc ubi ab alio distare, atque hic, & non alibi esse nequeat, quin tamen alterutrum in spatio illo, aut interuallum, nec reali, nec omnino officio existat?

14. Alij docent; spatium imaginatum esse carentias ubitatum: pro quo supponunt, sicut sunt possibiles infinitæ ubitates, quarum alia extra alias quoad locum essent, si existerent; ita similiter actu dari infinitas carentias, quarum alia extra locum aliarum sunt: ita, ut carentia ubitatis *A.* sit in loco solius ubitatis *A.* & contraria ubitatis *B.* in loco solius ubitatis *B.* & sic de reliquis: quamuis enim ubitas *A.* non sit in loco *B.* haudquaquam sequitur, carentiam ubitatis *A.* esse in loco *B.* aliòve quouis spatio: haud aliter ac quamuis ego non sim Romæ, non sequitur meam carentiam esse Romæ; aliàs ego meæ carentiæ in eodem tempore coëxisterem: infinitæ ergo carentiæ ubitatum quæquæ versus diffuse iuxta hanc sententiam sunt spatium imaginatum, ac vastitas illa inanis nullis limitibus circumscripta: ideoque Petrus v. g. est hic, quia huic carentiæ ubitatum aliquarum præfens est: & alibi quia alteri carentiæ præfens est: idcirco etiam Petrus, & Paulus inuicem distant; quia carentiæ, quibus præfentes sunt, certo interstitio essentialiter differunt.

15. Hæc sententia displicet mihi, primò: quia carentia Petri fuit ab æterno, quod qua ratione intelligendum est, inferius constabit: at Petrus non fuit ab æterno: ergo res & carentia rei idem spatium temporis suapte natura non respiciunt: ergo etiam idem spatium loci essentialiter respicere non debent, ac pròinde licet ubitas *A.* v. g.

fit essentialiter in loco *A.* non propterea carentia ubitatis *A.* essentialiter ibidem, & non alibi erit. Rursus: vna carentia est hic, & non alibi, vnaque ab alia distat: at non ex eo, quod tales carentiæ sint in alio loco à se distincto, ut aduersarij fatentur: cur ergo ubi *A.* & ubi *B.* ita comparari nequeant, ut alterum esse hic, & alterum alibi, vnumque ab alio distare possit, seorsum à quouis spatio à se distincto, & re ipsa ad vtrumque præsupposito. Deinde destruere ubitatem realem, & recipere, seu continere localiter rem aliquam sunt munera longe diuersa, ut manifestum est: cur ergo in eandem carentiam ubitatis ab his Authoribus confunduntur? Aut cur ab iis pari ratione producere rem, & eam localiter recipere eidem non assignantur, ita ut actio productiua rei aut eius ubitatis sit simul actio, & locus realis rei; haud secus, ac carentia est destructio ubitatis, & locus imaginarius rei ubicata? Aut cur etiam eadem entitas non sit actio rei, duratio, ubicatio, qualitas, ac quantitas, si hæc à re quanta distinguitur? His iisdem argumentis impugnari possunt ij, qui de possibilitate ubicationum philosophantur ea ratione, qua Authores sententiæ nuper impugnatae de carentiis sentiunt, spatiumque imaginatum ab ubitatum possibilitate indistinctum esse opinantur.

Locus realis extrinsecus ab Aristotele 4. Physicor. definitur superficies corporis ambientis: hinc fit, Deum non esse in loco extrinseco: ac propterea à multis Patribus, ac Theologis illocalem cum appellari. Hinc etiam fit, superficiem conuexam supremi cæli, de cuius spatio inter Philosophos magna lis est, non esse in loco reali extrinseco, solumque intrinsece locatam esse. Hinc tandem fit, turrem intrinsece immotam, atque in eodem situ permanentem, mutare tamen sapissime locum extrinsecum, propterea nimirum ventorum vi, aliam, aliamque æris superficiem mutat, & modo hac, modo illac circumfunditur: è contra vero nauim intrinsece motam, atque diuerso ubi, situque affectam, eandem tamen aquæ superficiem, eundemque locum extrinsecum aliquandiu retinere posse; videlicet, si prope, ac declinè cursu feratur, nec de fluctu in fluctum agitur: hac ratione homo intrinsece innariatus plures alias denominationes extrinsecas subit, & nec eandem quam antea famam, aut beneuolentiam, libertatem, aut dominium retinet; atque è conuerso esto intrinsece variatus sit, eandem tamen denominationes extrinsecas, quas antea interdum terminat, eodemque modo audit, amatur, immeritamque libertatem ac dominium tuetur.

Locus realis intrinsecus est ubi intrinsecum cuiusque rei: hoc autem incircumscriptum, definitum, & immensum diuidi solet. Ubi circumscriptum est, quod partes rei extra se inuicem collocat, ac partibus loci, seu spatij imaginarij commensas esse facit, ita ut vna pars rei locata in parte spatij, & alia in alia existat: definitum est, quod totam rem in toto spatio finito, & totam in qualibet parte eius spatij constituit; immensum est, quo res ubique collocatur. Ubi circumscriptum est proprium creatorum corporum, & diuisibilem: definitum est proprium creatorum spiritualium & indiuisibilem: immensum vero solius creatoris. Circumscriptum ita appellatur, quod vi illius vna su-

perficies rei locatæ aliâs interiores ambiat, & circumscribat: definitum vero ita dicitur, quod præcisè habeat rem loco definire, eamque hic v.g. & non alibi constituere, absque vlla tamen circumscriptione, aut situ partium: vbi vero imensum sic nuncupatur, quod modum omnem, atque mensuram excedat. Illud autem animaduertendum est, locum realem sapissimè sumi solere pro solo vbi circumscriptiuo: huius enim defectu docet Augustinus, non solum Deum, & Angelum, verum etiam animam rationalem illocalem esse, & spatio carere: *Videamus* inquit, in libro de quantitate animæ cap. 20. illud alterum argumentum, quale sit, quod per totum spatium corporis tactu sentitur ab anima, quam spatij nullius esse volumus. Eodem modo loquitur B. Claudian. de stat. anim. cap. 17. ibi: *Si localis est anima, multimoda potest sectione comminui, & frequentia comminutionis aboleri: sed quia istud mens sana, ne dicam, doctus, non recipit, &c.*

18.

Porro, materia prima, forma substantialis, & accidentia omnia idem numero vbi, eundemque locum intrinsecum sortiuntur: siquidem penetrantur: ergo in eodem loco, siue ibidem existunt. Dices: ea penetrari non quod idem numero vbi sortiantur, sed quod vbi vnus, & vbi reliquorum sint penetrata, idemque spatium imaginarium occupent. Contra tamen: quia iuxta aduersarios duæ quantitates naturaliter penetrari nequeunt: at vbitates rerum earum quantitates esse ex Augustino, & Aristotele supra ostendimus: Deinde quæ necessitas est tribuendi materiæ, formæ, & accidentibus inuicem penetrantibus diuersum realiter vbi, distinctumque numero locum: quod enim materia prius natura approximata sit agentis, atque adeo prius locum occupet, quam forma substantialis, aut accidentalis sint, nedum in loco sint, tantum arguit vbicacionem materiæ, eiusque vnionem cum loco, siue vbi priorem natura esse quam vbicaciones, aut vniones formæ substantialis, & accidentium cum loco: at quod vbi siue spatium vnus partis prius natura sit spatium, & vbi cæterorum illinc minimè arguitur. Et quidem quod attinet ad accidentia nullum illis proprium vbi esse, ac distinctum ab vbi, quod habent substantiæ, quibus accidentia, expressa sententia est P. Rubij 4. Physicor. tract. de natura loci quæst. 5. num. 74. & seq. Quæ autem in contrarium obijcit contrariæ assertor sententiæ D. Tellez disput. 44. Metaphys. sect. 1. facilia sunt, & absque negotio solui possunt ex dictis.

CAPVT III.

An idem corpus naturale, aliæue res possit diuinitus esse simul in duplici loco adæquato circumscriptiuè?

19.

Eandem rem in duobus, aut pluribus locis circumscriptiuè esse posse de absoluta creatoris potentia tuentur Alensis, Scotus, Richardus, Maior, Gabriel, Occamus, Marsilius, Adamus, Aureolus, alique plures scholastici antiqui: hanc etiam sententiam tanquam magis idoneam ad hæreses nostri temporis circa mysterium Eucharistiæ profligandas amplexa est vniuersa fere Societas Iesu, eamque multis, & efficacibus ar-

gumentis probat, quæ breuiter insinuare, non fasè prosequi lubet: tum quia per se clarissima sunt: tum etiam quia à nostris Theologis late expendi solent.

Argumentor igitur primò: plura contraria diuinitus eidem subiecto conuenire possunt, videlicet, calor summus, summaque frigiditas, aut humiditas, & siccitas in supremo gradu: aut quod plus est, assensus, ac dissensus; amor, & odium efficax eiusdem obiecti, vt in Metaph. tract. 12. cap. 1. lib. 7. ostendam: cur igitur vnum vbi circumscriptiuum simul cum alio distanti eidem corpori conuenire nequeat, cum alterum alteri contrarium tantum sit, & neutrum alteri formaliter contradicat, per eiusve carentiam definiatur, sed potius per hoc, quod partes rei locatæ partibus loci commensurent, & singulas partes rei in singulis tantum partibus loci constituat. Secundò: non magis repugnat, corpus aliquod habere duplex vbi circumscriptiuum, quo simul in diuersis locis existat, quam omni vbi circumscriptiuo spoliari: at Deus supernaturaliter potest facere, vt corpus aliquod circumscriptiuè nullibi sit, tantumque definitiuè in loco existat, idque de facto fieret, si Christus in sola Eucharistia aliquandiu esse vellet. Tertiò: non magis repugnat, vnum corpus esse circumscriptiuè in diuersis locis, quam duo corpora esse circumscriptiuè in eodem loco: at diuinitus factum fuit non semel, vt duo corpora in eodem loco circumscriptiuè essent, vt cum Christus Redemptor noster virginea claustra, ianuas obseratas, sepulchri lapidem, ac cælestes orbes omnipotenti sua virtute penetrauit.

Quartò: vnum accidens diuinitus collocari potest in diuersis subiectis; siquidem quod pari admiratione dignum, salua tamen fide negari nequit, accidens sine vilo subiecto diuinitus existere valet: similiter etiam vna forma substantialis in diuersis materiis per miraculum esse potest: cur ergo vnum corpus circumscriptiuè in diuersis locis simul esse nequeat, aut quæ vtrinque disparitatis ratio est. Quintò iuxta non paucos aduersariorum vna natura diuinitus esse potest in diuersis suppositis, altero creato, & altero increato; atque ita eueniret, si Deus naturam Angelicam seipsa subsistentem assumeret. Rursus etiam vna subsistentia, ac suppositalitas in diuersis naturis esse, easque intrinsecè afficere potest, vt ex Dominicæ Incarnationis mysterio exploratum est: ergo similiter, &c. Sextò Angelus naturaliter, & absque miraculo totus est in vno loco, ac totus simul in alio, siue eiusmodi loci continui sint, siue, quod aliis non displicet, discreti sint, dummodo ambo sphaeram adæquatam Angeli non excedant: cur igitur Deus miraculosè nequeat totum corpus hic, ac totum alibi circumscriptiuè collocare.

Septimò: vnus effectus à duplici causa adæquata diuinitus prodire; aut, quod perinde est, in duplici virtute totali contineri potest: quidni ergo & vnum corpus in duplici loco circumscriptiuè. Octauò: corpus Christi de facto habet plures præsentias adæquatas, quibus in diuersis locis existat, & non qualescunque, sed definitiuas, ac supernaturales, vti ex mysterio Eucharistiæ constat: ergo à fortiori corpus Christi plures præsentias adæquatas, naturales quidem, ac circumscriptiuas habere, & merito illarum in di-

20.

21.

22.